



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 125. Quid circa contractum donationis sit addendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**



*De concess. præb.*, in his enim datur occasio machinandi vel optandi mortem. Item quibus auferitur potestas disponendi de rebus suis, v. g. quâ quis promittit non condere aut non revocare testamentum, non instituere alium hæredem nisi institutum, L. 6. Cod. De pactis, docentque Mol. d. 271. Less. n. 24. Dicast. n. 173.

797

Q. 125. *Quid circa contractum donationis sit addendum.* R. Notandum est, quòd pleraque dicta de promissione, etiam intelligi debeant de donatione: Definitur autem donatio, quòd sit contractus, quo plenum rei donatæ dominium gratis statim transfertur in alium, Lugo d. 23. n. 128. Dicitur 1., *Quo plenum dominium transfertur*, per hoc enim distinguitur ab emphyteusi, commodato, precario, deposito, pignore &c. quibus vel non transfertur dominium, vel transfertur tantum dominium utile, ususfructus vel usus. 2. *Gratis*, per quod distinguitur ab emptione & cæteris, ad donationem enim propriè dictam requiritur datio planè liberalis: hinc L. 1. ff. De donat. dicitur, donationem propriè esse, quam donator propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat; hinc datio mutui non est donatio, quia fore repetitur. 3. *Statim transfertur*, per quod distinguitur à promissione gratuita, quæ tendit in donationem pro futuro faciendam, unde ex promissione oritur obligatio donandi, ex donatione obligatio tradendi, & traditio est veluti executio donationis. Videri potest *Om. d. 30. l. 1. & seqq.* Quamvis autem donatio regulariter in dubio non præsumatur, ex L. *Cum de indebito*, ff. *De probat.*, ex causa tamen remunerationis, & quan-



quando merita præcesserunt, præsumitur, ex L. Si verò non remunerandi, §. Papinianus ff. Mandati, Menoch. Mantica, Lugo in Resp. mor. l. 5. d. 1. Circa donationes sub conditione vel modo aliquo factas, vide Delbene de Immun. Eccl. c. 17. d. 5.

## D V B I V M III.

*Quibus casibus donatio possit revocari.*

Resp. I. Donatio inter vivos, hoc est, quâ quis vult se vivo rem absolutè alterius esse, potest revocari ( etsi res jam tradita sit ) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit remuneratoria, aut facta sit Ecclesiæ, vel Monasterio. Sunt autem hi Casus :

I. Si donatarius enormiter ingratus sit: ut si donanti atroces injurias inferat; si inopiâ presum non alat, &c. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt. & eos postea negligunt, Sylv. Less. l. 2. c. 18. d. 14. Bon. Trul. c. 17. d. 12. Neque valet pactum, ut donatio non possit ob ingratitudinē revocari. Bart. & alii 8. Lugo d. 23. n. 174. Dia. p. 8. t. 6. R. 57. Debet tamen ingratitudo coram iudice probari, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere. Mol. ro. 2. tr. 2. d. 281. n. 5. Lugo n. 172. & alii 4. Di m. R. 58. Post eam verò, etiam fructus perceptos. post litem contestatam, Mol. n. 6. Dicastill. Dia. R. 58. Hæredes autem non possunt revocare ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipse scivit, & tacuit; secus si ignoravit, Gomez. Hurt.